



† R. P. Michaël Mazzei (1878-1954) (1)
(Prov. Neap.)



Die 25 Iulii a. c., h. 22,40, Paganis in collegio S. Alfonsi, in cella N. 3 primae contignationis alae occidentalis sanctam suam vitam terrenam morte sancta clausit veneratissimus P. Michaël Mazzei, annos natus 1876.

Praesentiens mortem suam vicinam, cupiensque mori apud sepulcra S. P. Alfonsi et Servi Dei P. Antonii Losito, instanter a Superiore Provinciae petierat ut Neapoli Paganos transferretur. Ibi paucis ante obitum diebus distribuit reculas varias; libros autem S. Fundatoris ac Patris Desurmont, quibus toties usus fuerat, Praefecto studentium Patri Farfaglia dedit, cui etiam disertis verbis dixit vitae finem iamiam advenisse seque paratum esse ad exsequendam Dei voluntatem.

(1) Cf. S. *Alfonso*, Sept. 1954, p. 123-128, auctoribus RR. PP. D. FARFAGLIA et B. CASABURI.

Cum propter cordis debilitatem cruris dexteri ambitus augetur, iubebatur in cubiculo manere. Ibi d. 21 Iulii sumens parcam suam meridiano tempore refectionem, extemplo signa trombosis cerebri monstravit cum omnium consternatione. Positus in lecto etiam pronuntiare poterat flagrantem suam aspirationem, insignis suae pietatis indices, quae hic referantur eius lingua vernacula, cum omnis translatio eas suo gustu privaret. « *Caro Gesù bello, ti ringrazio! Cuor di Gesù e di Maria!... Dio mio!... È bello Gesù Cristo!... Cuore bello di Gesù!... Cuore bello!... Cuore amante!... Gratiis agimus tibi!... O bella mia Maria!... O caro mio Gesù!... Sia fatta la Volontà di Dio!...* » (2).

Progrediente infirmitate totum latus dexterum factum est immobile. Nascebatur dubium, essetne carissimus Pater etiam sui compos. Attamen unum alterumve cognoscere videbatur; praesertim Patris Provincialis A. Freda manum diu stringebat. Ceterum semper servabat illam suam externam modestiam, ob quam olim « alter S. Aloisius » vocitatus fuerat.

Die 22 illius mensis, fer. V, P. Provincialis, praesente tota communitate, ei administravit sacramentum extremae unctionis. Exinde diu noctuque ad eius lectum vigilabant Patres, Clerici, Fratres Coadiutores, praesertim fidelis nosocomus Fr. Alfonsus.

Sabbato moribundum invisit Episcopus dioecesanus Exc.mus Zoppa, qui admirandus exclamavit: « Ecce homo Dei in sua pace! Lectus morientis evasit cathedra docentis! ».

Sic dilecti confratris anima, diuturna agonia purificata, tandem Dominica VII post Pentecosten, festo Apostoli S. Iacobi Maioris, ad supera evolavit.

Corpus mortuum insequenti die expositum est in primaeva ecclesiola, ubi S. Alfonsus primam suam sepulturam invenerat et adhuc iacent exuviae Servi Dei Antonii M. Losito, ad cuius sepulcrum P. Mazzei cotidie preces fundere consueverat. Multi ad hoc oratorium accurrebant corpus mortuum contemplatum, et dicebant: « Alter S. Alfonsus esse videtur ». Tangebant corpus exanime coronis aliisque obiectis religiosis, et quicumque eius manum osculari sinebatur, fortunatum sese existimabat. Fere omnes se sentiebant potius invitatos ad eius intercessionem efflagitandam quam ad orandum pro eius requie.

Mane feriae III cadaver ex illo sacello translatum est in vicinam Basilicam, ubi Missae exsequiali interfuere fere omnium domorum Provinciae delegati, duplex studentatus: Paganensis et Iuranensis, iuvenatusque Licteriensis. Etiam Sicilia repraesentabatur per R. P. Josue Parlato. Notabantur quoque municipii vexillum variaque vexilla confraternitatum. Elogium funebre, quod recitavit P. Farfaglia, nunc in illo periodico nostro legi potest. Corpus resurrectionem nunc expectat in nostro sacello coemeterii Paganensis.

(2) In foliis periodicis *S. Alfonso* l. c., p. 126 s., videri possunt duae imagines, tunc inscio moribundo luce expressae eiusque singularem pietatem ad vivum depingentes; earum unam nos quoque hic inserimus.

Michaël Mazzei natus est in Calvello (Potenza) sabbato primo Quadragesimae 9 Mart. 1878 in sinu familiae haud minus virtute christiana fideque quam opibus divitis. Frater germanus Leonardus de eo testatur: « Qualis Michaël in aetate adulta fuit, talis semper fuerat ». Pertinebat itaque ad illos fortunatos mortales, in quibus nostri generis perversio exulare videtur. Vota in nostro Instituto nuncupavit 4 Iun. 1896, annos natus 18, et 4 Maii 1902 sacerdotio auctus est.

Inter eius plasmatores peculiari mentione digni sunt P. Losito supra laudatus et P. Constantinus Petrone. Michaëlis commilitiones adhuc superstites recordantur, quanto fervore « angelicus » iuvenis inde ab initio religiosum statum amplexus sit. Sed *caritatem primam* (cf. Apoc. 2, 4) nunquam reliquit, sciens per totam longam vitam harmonice unire sacra studia et ardentem pietatem. Constans et attenta lectio totius S. Scripturae, praesertim Epistolarum Paulinarum, effecerat ut longissimos textus biblicos iuxta Vulgatam e memoria recitare posset, et his textibus latinis libentissime etiam suas conciones replebat. Patri Mazzei ipse textus biblicus erat « panis cotidianus », nec detinebatur, uti tot alii hodie, infinitis istis quaestionibus introductoriiis.

Admiramur in ultimo Catalogo, p. 63, longum elenchum munerum in Congregatione usque ad a. 1948 digne sustentatorum: « Cons. 12 a., Praef. stud. 10 a., Dir. iuv. 3 a., Mag. nov. 9 a., Rect. 13 a., Prov. 3 a., Cons. prov. 9 a., Voc. Cap. gen. 21, Cons. gen. 13 a., Visit. extraord. 2 Prov., Dir. spirit. coll. eccl. Nobil. Romae 4 a. ». Adde quod legitur in p. 47: « Assistens eccl. Piorum Operariorum et Catechistarum Ruralium ad nutum S. Sedis ». Triennio 1947-50 fuit Neapoli, 1950-53 Iuranis Rector.

Anno Magni Iubilaei *Redemptionis* 1953 Pius PP. XI ad sacrum secessum in Suis Aedibus Vaticanis praedicandum *Redemptorianos* sodales invitare voluit. Honor onusque obtigit nostro Archiepiscopo-Episcopo Carmelo Cesarano (pro binis uniuscuiusque diei conferentiis) et Patri Mazzei (pro binis meditationibus). Inter audientes etiam Em.mus Cardinalis Pacelli erat, hodie Summus Pontifex gloriose regnans, qui exinde coepit confratrem nostrum venerari ut « hominem Dei » (1). Ipse P. Mazzei nobis quondam confessus est se sensisse semetipsum tunc quasi oppressum eiusmodi sacra praedicatione. Illarum meditationum materiam sumpsit e libro S. Alfonsi *Apparecchio alla morte*.

Inter nostrates P. Mazzei vivet praesertim ut magnus educator nostrae iuventutis. Numerosi eius alumni hodie reminiscuntur non solum eius allocutiones sacra unctione plenas, sed etiam tot insignis virtutis exempla: caritatem paternam, immo potius maternam, in continuis infirmitatibus constantem aequabilitatem ac patientiam, angelicam pietatem. Quoties eum viderunt per longas horas genuflexum ante

(1) Sic enim nomine Suae Sanctitatis fratri superstiti scripsit 10.VIII.1954 Exc.mus Ioa. B. Montini: « Ill.mo Signore, La morte improvvisa dell'Uomo di Dio che fu padre Michele Mazzei, rattrista il Santo Padre, ma non senza una profonda vena di pace. Non è scritto che la morte dei Santi è preziosa al cospetto di Dio?... ». Cf. S. Alfonso, l. c., p. 128.

Tabernaculum seraphico ardore orantem, haud raro brachiis extensis! Una cum P. Losito verus fundator neapolitani iuvenatus vocari potest, cuius primus Director fuit. S. Angeli a Cupolo a. 1930 novam sedem studentatus constituit, qui interim Provinciae tot novos sodales dedit. Quodsi Provincia hodie possidet florentia Seminaria minora et maiora, id magna ex parte debet veneratissimo P. Mazzei.

Sed hodie haec scripsisse sufficiat; speramus enim fore ut mox vita huius sodalis valde eminentis ampliore forma exaretur et in omnium confratrum aedificationem edatur. Mnemosynon mortuarium non veretur haec singularis momenti encomia defuncto tribuere:

Chi lo conobbe lo acclama Santo.

Sempre assorto in Dio, aveva il volto di Angelo e il cuore di Mamma. Ardente devoto della Madonna, sul letto dell'agonia strinse — come sempre — lo scapolare e la corona.

Religioso, seguì il Redentore fino all'olocausto.

Sacerdote, visse e lavorò per la redenzione delle anime.

Formatore di Apostoli, assicurò alla Famiglia redentorista un avvenire di giovinezza e di speranza.

Il ricordo della sua vita è luce, conforto, benedizione.